

et ita se armis tutatur et conseruat, vt vix eam Regionem Thureus vnquam ingreditur, quin accepta grauissima clade et calamitate ex eodem Regno nostro recedat. Quapropter non immerito hoc ipsum Regnum nostrum vnum precipuum scutum, vel potius antemurale huius Regni nostri Hungarie appellauerimus, vt itaque hoc ipsum Regnum nostrum Sclauonie, atque Vniuersitas fidelium nostrorum in eodem constituta, nostram Regiam munificenciam persenciat et experiatur liberalem, hec arma, videlicet in vno scuto triangulari duo flumina superius denominata, per transversum directe depicta, in eorumque medio supersticio, campo scilicet penitus rubicundo, predictum mardurem, antiquum eorum insigne, coloris naturalis et proprii, reliqui autem duo campi eiusdem scuti, duas partes exteriores predictorum fluminum occupantes, sunt penitus colore depicti celestino, in quorum superiori vnam stellam, quod propter bellicas exercitaciones continuas, in quibus prefatum Regnum nostrum Sclauonie et eiusdem incole aduersum predictos Thureos continue agitantur, Sidus Martis volumus appellare. Preterea supra scutum galeam vnam in vero colore, propriaque figura, variis floribus veluti vento agitata, vniuersum gyrum eiusdem galee atque scuti, totamque armorum descriptionem pulchra diuersitate ambientibus, prout hec in principio seu capite presencium litterarum nostrarum figurata sunt, et distinctius expressata, animo deliberato, et ex certa nostra sciencia, ac de consilio predictorum dominorum Prelatorum et Baronum nostrorum, plenitudineque potestatis nostre Regie, eidem Regno nostro Sclauonie, Vniuersitatiq; Nobilium eiusdem duximus danda et conferenda. Annuentes eisdem, et concedentes, vt ipsi amodo deinceps in perpetuum, his armis in Banderiis suis et aliis quibusuis rebus et exercitiis militariibus, Vniuersitatem illius Regni nostri concernentibus, fruantur et vtantur, atque vt iidem publice vtilitati sue caucius et prouidencius consulere possint, eisdem armis in sigillo per impressionem cere rubree, quantum in litteris et epistolis missilibus omnibus in rebus nomine Vniuersitatis sue vti, frui et gaudere possint et valeant. De talismodi igitur singularis et specialis nostre gracie antidoto merito exultent, et tanto ampliori studio ad honorem Regie Maiestatis ipsorum de cetero solidetur intencio, quanto se ipsos largiori fauore Regio preuentos esse conspiciunt et munere graciaram. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam presentes litteras nostras pendentis et authentici dupplicis Sigilli nostri, quovt Rex Hungarie vtimur, consignatas, eidem Regno nostro Sclauonie, Regnicolarumque eiusdem Vniuersitati duximus concedendas. Datum per manus Reuerendi in Christo Patris domini Thome Episcopi Ecclesie Agriensis, aule nostre summi et secretarii Cancellarii et fidelis nostri dilecti. Budae predicta in festo Concepcionis beatissime Marie Virginis. Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno septimo, Bohemie vero vigesimo sexto.

*(Sigillum Regium duplex in zona rubri coloris pendens.)*

Orig. membrana in Archivo Regni Croatiae. Priv. Nr 70.